

THEMISTOCLES
Bellica et civili virtute praecipuus

ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

THEMISTOCLIS EPISTOLÆ,

Græce & Latine

interprete

JO. MATTHÆO CARYOPHILO,
Archi-Epiſcopo Iconienſi.

Recenſuit, notis & indicibus inluſtravit,
& in præfatione vindicavit

CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS.

LIPSIÆ.
IMPENSIS VIDUÆ FROMMANNI,
cIↄ Iↄcc x.

VIRO

MAGNIFICO ATQUE AMPLISSIMO

DOMINO

JO. GEORGIO BOERNERO,

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Poloniæ Regis & Electoris Saxoniæ Conſiliario, & Supremi Conſiſtorii Adſeſſori graviſſimo:

MAGNOQUE MAGNI PARENTIS FILIO,

VIRO

PLURIMUM REVERENDO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO FRIDERICO BOERNERO,

S. T. D. & utriusque Linguæ in Academia Lipſienſi Profeſſori celeberrimo

Patronis ac ſtudiorum ſuorum Promotoribus ſummopere colendis

S. P. D.

CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS.

Sistunt se Vestro Conspectui, VIRI GRAVISSIMI, Themistoclis clarissimi Atheniensium Imperatoris epistolæ, Vestrisque nominibus præfixis publico se tradere audent Exiguus est labor, quem in iis recensendis insumsi, quem & ipsum Vobis exhibere & adprobare volui. Postquam enim hactenus Vos meorum studiorum fautores non sine singulari animi mei lætitia esse cognovi, has quoque illorum primitias non ingratas Vobis futuras esse spero. Ego pro eo, quo me hacte-

nus complexi eſtis, favore atque beneficentia, aliud quid Vobis offerre non potui. Suſcipite ergo interea chartas iſtas, quæ aliquod ſaltem devoti pectoris poſſunt eſſe indicium, nam majora pro iis, quæ in me hactenus exhibita ſunt, dare mea non permittit exiguitas. Veſtra interim nomina Excellentiſſima ad ulterius ſtudiis meis adſiſtendum humillime imploro, quod ut a Vobis fieri poſſit, DEUS Vos, PATRONI SUMMOPERE COLENDI, ſalvos atque ſoſpites conſervet. Dabam Lipſiæ d. 24. Apr. cIↃ IↃCCX.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS.

Themiſtoclis epiſtolas Tibi nunc damus, L. B. opuſculum, quod diu hactenus latuit, tandem vero e ſuis tenebris erupit, & ſe eruditorum oculis ſubjecit. Edidit eas primus ex vetuſto Bibliothecæ Vaticanæ codice Johannes Matthæus Caryophilus Archiepiſcopus Iconienſis Romæ M DC XXVI. in quarta, quemadmodum vocamus, forma. Dedicavit autem Urbano VIII. Pontifici Romano, easque latina verſione donavit, variantes quoque lectiones margini adjecit, quas ex ipſius ingenio omnes eſſe ſuſpicor, quia de iis aliud nihil ſcire nos voluit, quum præfatione, in qua talia monenda veniunt, opus deſtituatur. Triennio poſt, anno ſcilicet MDCXXIX. prodiit editio Francofurtana in octavo ex bibliotheca Ehingeriana, ut præ ſe fert titulus. Nulla in ea præter dedicatio-

nem ad Fridericum Hortlederum, Conſiliarium Saxo-Vinarienſem, paucis lineis conſtantem, eſt præfatio, in qua aliquid de ſua editione memoraret, an ipſe ex aliquo codice eam ederet, an vero Romanam editionem eſſet ſecutus. Certe Romana editio illum minime latuit, quia integram Caryophili verſionem retinuit, & vitioſas etiam lectiones quamplurimas in illa occurrentes, expreſſit. In hoc ſaltem differt, quod marginales lectiones Caryophili plane neglexit, & ordinem epiſtolarum immutavit, de quo infra dicendi tempus redibit. Notandus circa hanc editionem venit error viri Celeberrimi Thomæ Reineſii Var. Lect.3.6. p.467. qui has Themiſtoclis epiſtolas *ab Ebingero primum publicatas* ſcribit. Venit tamen, poſtquam hæc ſcripſiſſet, in ejus notitiam Romana editio, cujus meminit epiſt.76. ad Boſium p.286. cujus tamen verba a typographis, qui ſcriptionem ipſius non adeo elegantem minus bene adſequi potuerunt, male admodum ſunt habita, quæ ita reſtituo: *Ad illuſtrandas res Themiſtoclis fecerit legiſſe hujus epiſtolas, quas olim Joh. Matth. Caryophilus Cretenſis anno 26. Ebingerus anno XXIX. edidit.* Eundem errorem erraſſe videtur

)(4 C. S.

C. S. Schurzfleiſchius Diſſert. XXCV. §. 6. qui ait *epiſtolas Themiſtoclis e bibliotheca Ehingeriana erutas eſſe.* Sed hæc facile tantis Viris condonari poſſunt, quia non omnes editiones ad cujusque notitiam perveniunt, & alia eorum in rem litterariam merita facile lapſus iſtos obtegunt.

§. II.

Varia ſorte, poſtquam in publicum prodierunt, uſæ ſunt hæ Themiſtoclis epiſtolæ, namque, ut in talibus fieri ſolet, ab aliis culpatæ, ab his contra pro genuinis habitæ & laudatæ ſunt. Fuere certe inter eruditos quamplurimi, qui has epiſtolas laudarunt, earumque teſtimonio in ſuis ſcriptis uſi ſunt, ut Erythræus Pinacotheca I. n.124. Meurſius, Vir, ſi quisquam alius, græca ſciens, Miſc. Lacon.3.1. Lydiat in adnotationibus ad Chronicon Marmoreum Arundelianum p.77. Reineſius locis citatis, Boſius ad Nepotis Themiſtoclem. Hos viros omni exceptione majores nemo eſt qui negare poſſit, quamvis errores aut alia eorum præjudicia ſequi, ſi meliora edocti ſumus, minime fas eſſe ſtatuamus. Iniquiores porro multi fuere in has Themiſtoclis epiſtolas quamprimum fuerunt editæ, id quod & ipſum teſtatur Leo Allatius

tius in dialogo de ſcriptis Socratis p.78. *Nuper etiã vulgatæ ſunt Epiſtolæ Themiſtoclis, dicit Vallius* (unus ex conlocutoribus) *quarũ concinnitas non niſi acutioribus omnibꝰ fucum fecit. Eas tamen Themiſtoclis non eſſe uno vel altero loco, in quo ſe prodit Auctor, dum declamatorio modo rem effert, & ſophiſtico penicillo depingit, manifeſto evincitur.* Videtur tamen paulo æquior his noſtris epiſtolis eſſe ipſe Allatius, qui verbis paulo poſt ſequentibus ex ſua ipſius perſona ita loquitur: *Quid de Themiſtocleis ſentiendum ſit, dicent alii. Non tamen illud negari poteſt, ab editione illarum fuiſſe nonnullos, quibus illæ confictæ judicatæ ſunt; nullum tamen ad hunc diem aliquid ſcripto ſignaſſe, quod ego ſciam, quo earum veritatem enervaret ac frangeret.* Et hæc quidem ita fuere Allatii ævo, noſtris vero temporibus fuerunt Viri eruditionis magna gloria conſpicui, qui ea, quæ hactenus alii tacite ſecum cogitarunt, judicium vero ſuppreſſerunt, publice orbi erudito patefecerunt, noſtraſque epiſtolas pro ſpurio alicujus Sophiſtæ fœtu habuerunt. Quos inter eminent Dodwellus Annal. Thucyd. p. 73. 74. Küſterus ad Svidam in Θεμιϛοκλῆς, Schurzfleiſchius in diſſertatione citata, & Fabricius in Bibliothe-

ca Græca, qui tribus ſaltem verbis mentem ſuam patefecere, quod prolixius fecit clariſſimus transmarinarum regionum vir Richardus Bentleius in peculiari diſſertatione Anglico idiomate aliquoties Londini impreſſa. Cui viro Celeberrimo ea, quæ nobis de his epiſtolis videntur, bona cum ipſius venia ſumus repoſituri.

§. III.

Certum & indubitatum eſt Svidæ de Themiſtocleis epiſtolis teſtimonium, quod habet in voce Θεμιςοκλῆς: Ἔγραψεν ἐπιςολὰς φρονήματος γεμούσας: *Scripſit epiſtolas generoſum & excelſum animum ubique ſpirantes:* Hoc Svidæ teſtimonium optime in noſtras haſce epiſtolas quadrare, nemo facile, qui æquus rerum æſtimator haberi vult, negare poterit. Magnitudo enim animi, qua ipſe exilium & alia pericula fortiter tulit, patientia, qua tot adverſa in itinere ipſi ſubeunda & difficultates ſuſtinuit, amor, quo erga conjugem, liberos & amicos fuit adfectus, ira etiam & indignatio, quibus ne in exilio quidem adverſus amicos deſveſci poterat, ſatis indicant animum Themiſtoclis excelſum & vere Themiſtocleum. Quamvis negare minime poſſimus, ipſum etiam aliquando

do præcipitato & ancipiti fuiſſe judicio, ſed tantum in iis rebus, in quibus ipſe certi quid ſtatuere non poterat, de quo poſtea dicendi redibit occaſio. Hoc ergo teſtimonium nemo profecto Sophiſtarum prævidere potuit, neque Svidas adeo rudi fuit judicio, ut ſibi a docto quodam impoſtore fucum facere paſſus ſit. Miratur autem Cl. Bentleius has epiſtolas ad Svidæ usque tempora latuiſſe, neque antea a quoquam vel Hiſtoricorum vel Grammaticorum teſtimonii loco eſſe adductas. Sed mirari deſinet, ſi Plutarchi verba perpenderit in vita Themiſtoclis p.123. edit. Wechel. ubi poſtquam retuliſſet, Pauſaniam conſilium prodendæ Græciæ cepiſſe, addit illud eum quoque cum Themiſtocle jam exule communicaſſe, Themiſtoclem vero hoc omnes, etiam amicos, celaſſe. Poſt exitium tamen Pauſaniæ repertas eſſe litteras Themiſtoclis ad eum, quæ hæ duæ fuere, in quarum prima Pauſaniam a propoſito dehortatur, in altera ei ab exercitu Lacedæmonem revocato inſultat, ex quibus, qualiacunque etiam illorum contenta fuere, ſaltem propter amicitiam arctam cum Pauſania Themiſtoclem proditionis reum facere poterant invidi Lacedæmonii. Porro demus Cl. Bentleio,

leio, & concedemus etiam, epiſtolas iſtas ad Svidæ usque tempora latuiſſe, non tamen hoc argumentum eſt, quod auctorem aliquem ſuſpectum facere poſſit. Exemplis res fiet clarior. Phædri Auguſti liberti fabulæ Æſopicæ primum in lucem editæ ſunt a Petro Pithœo, ante cujus tempora plane nulla fuit earum memoria, neque apud Grammaticum, neque alium ſcriptorem quendam, adeo ut de ejus etiam nomine dubitet Gudius, qui ex Inſcriptionibus primum caſum flectere mavult *Phæder* quam *Phædrus*. Hujus codicem MS. habuiſſe equidem videtur Nic. Perottus, quippe qui in Cornu Copiæ unam & alteram fabulam iisdem, quibus Phædrus, verbis, recenſet, quas tamen propriam verſionem eſſe vult, quapropter merito plagii ab eruditis viris incuſatus eſt. Non ergo argumentari licet: Phædri fabulæ a nemine unquam ad noſtra usque ſecula memorantur; Ergo pro genuinis non ſunt habendæ. Quum contrarium potius nos docuerint eruditi, qui magno cum adplauſu eas exceperunt, ſuisque obſervationibus inluſtrare certarunt, dignasque judicarunt, ut in Scholis publicis prælegerentur. De Curtio dicere jam nihil adtinet, qui & ipſe a nemine

mine memoratur, relinquimus rem penes Duumviros ſeculi noſtri eruditiſſimos Clericum & Perizonium, hi dijudicabunt, quid de eo ſtatuendum ſit. Certe, niſi alia quædam eruditos moveant, quæ ſeculum Curtio adſcriptum minime ſapiunt, profecto propter ſilentium auctorum nunquam rejiciendus erit Curtius. Ad Græcos ſi pergimus, notiſſimus & optimus auctor eſt Maximus Tyrius, cujus Diſſertationes prudentiam non vulgarem ſapiunt. Hujus nemo veterum ſcriptorum meminit, nec ob id tamen rejici & pro ſuppoſititio haberi meretur ſcriptor elegantiſſimus, quod & ipſum in præfatione monuit nuperrimus illius editor Doctiſs. Daviſius. Manethonem nuper admodum luce publica donavit Jacobus Gronovius, ante hunc a nemine memoratus eſt, quod aliquid litteris commendaverit, nemo tamen, quod ſciam, adhuc inventus eſt, qui ejus carmina ſuppoſita eſſe ſtatuat, nec apud quenquam eruditorum fidem merebitur, qui adverſus hæc Manethonis carmina inſurgere, earumque veritatem impugnare audebit. Nihil jam dicam de carminibus Argonauticis, Thebaicis, Troicis 1588. a Neandro editis, nec de Mauricii Arte Militari & aliis plu-

pluribus, quæ jam adducere nihil adtinet. Hæc a nemine unquam vel coætaneorum vel sequiorum scriptorum vel citantur vel memorantur, nec tamen exinde sequetur, omnia illa esse spuria.

§. IV.

Pergit celeberrimus Bentleius & objicit, non tantum in rebus Themistoclis inter Historicos futurum fuisse dissensum, si hæ Themistoclis epistolæ ipsis fuissent notæ, sed omnia potius ex ipsius scriptis tuto & recte judicari potuisse, quod & ipsum libenter admodum concedo. Ex quo tamen non sequetur, si Theophrastus, Thucydides, Plutarchus, Diodorus Siculus & alii, qui Themistoclis res gestas descripserunt & attigerunt, epistolarum ejus non meminerunt, easque secuti sunt, illas plane in orbe tunc non fuisse. Mirabilia admodum sunt librorum veterum fata, quod vel Aristotelis exemplum probatum dare potest, de quo vide, quæ narrant Politianus Misc. c. 1. & Mercurialis Var. Lect. 5.4. Talis quoque sors fuit epistolarum nostrarum, quæ primis temporibus inter homines talia non magnopere curantes latuerunt, nec ad eorum virorum, quorum hodie scripta habemus, notitiam venerunt. Tales

libri

ibri quotidie adhuc prodeunt, a nemine unquam memorati, & cum hactenus receptis opinionibus pugnantes, qui tamen ab eruditis neutiquam rejiciuntur.

§. V.

Miratur porro doctiſs. Bentleius, quam ob cauſam eas tantum epiſtolas Themiſtoclis habeamus, quæ poſt exilium ſcriptæ ſunt, eas vero, quas ante exilium dedit, temporum injuria deſideremus; Difficile eſſe, ait, dicere, illum ante exilium nullas ſcripſiſſe epiſtolas, nullasque poſt exilium datas eſſe deperditas. Tandem eo delabitur, ut ſtatuat, eas a quodam Sophiſtarum eſſe elaboratas, qui id ſibi propoſuit, ut geſta Themiſtoclis poſt exilium ex hiſtoricis deſcriberet. Sed reſpondemus, non bene concludi ab Auctoris ad epiſtolarum felicitatem & contra. Nam licet Athenienſes Themiſtoclem oſtraciſmo ejicere potuerint, ſcripta tamen illius poſt exilium, ſi aliqua ratione conſervare eas voluit, eo modo delere potuerunt neutiquam. Cur nullas ante exilium ſcriptas habeamus, reſpondeo, quia interierunt: Quin neque omnes poſt exilium ſcriptas nos habere ſtatuo, quia multa adhuc in hiſtoria exilii occurrunt, quorum in his epiſtolis nulla plane fit

)(men-

mentio. Quomodo autem hæ epiſtolæ ab uno tempore ad aliud traditæ & conſervatæ ſint, hoc equidem dicere noſtrum non eſt, ſicut nec alius quisquam Phædri & eorum, quorum ſupra meminimus, fortunam nobis depingere poterit.

§. VI.

Pergit Cl. Bentleius, & incuſat Sophiſtæ illius, quem ſibi fingit, floſculos, qui dum amice ſcribit, modum etiam decori tranſilit; quando vero aliquid ſtatuendum eſt, ſine multis deteſtationibus facere non poteſt. Exempli cauſa hæc adducit: Epiſtola I. ubi Themiſtocles a Nicia & Meleagro, ut ſecum Argos iret, adactus eſt, circa finem adducit nimiam Argivorum comitatem, quæ tanta fuit, ut Themiſtoclem etiam invitum coëgerint, ut ejus urbis regimen ſuſciperet,& pati ſe injuriam dixerint, ſi ipſe imperium recuſaret. Alterum eſt, quod epiſt. XIV. (quæ nobis in ordine XIX. eſt) Themiſtocles ſcribit ad Leagrum amicum ſuum,quod ſe ab itinere in Perſiam ſuſcipiendo neque Leager, neque Neocles pater, neque Themiſtocles patruus ab inferis excitati, neque augurium aut omen quoddam, neque ipſe etiam Apollo Delphicus amovere debeat. Ad primum

re-

reſpondemus, quum omnes hiſtorici teſten-
ur, ipſum Argis aliquamdiu præfuiſſe, Sophi-
ſtici nihil in eo adparere, ſed illud revera ab
Argivis ita factum eſſe, quia Themiſtocles in-
vitus ad id quaſi cogendus fuit, quod ſine
multis perſuaſionum variarum formulis fieri
certe non potuit. Fortaſſe quoque unus &
alter adulatorie nimis talia Themiſtocli pro-
tulit, quæ cum ita Themiſtocles ad amicos
ſcribat, Sophiſtici nihil ei adſcribere poſſu-
mus. Ad alterum ut eo melius proceda-
mus, juvat adponere univerſum iter
Themiſtoclis poſt oſtraciſmum, quod
tale fuit: Primo Themiſtocles ſibi pro-
poſuerat ſtatim poſtquam Athenas re-
liquiſſet, Delphos ire, ſed quum ipſi oc-
curriſſent Nicias & Meleager Argivi,
eum coëgerunt, ut ſecum Argos iret,
ubi poſtea imperium, quamvis invitus,
ſuſcepit. Neque Themiſtocli diutius ibi
degere animus erat, ſed iter in Perſiam me-
ditabatur, quod ita certiſſime ſibi propoſue-
rat, ut nihil unquam certius eſſe crederet.
Verum ſi Themiſtocles prævidere potuiſſet,
fore ut Athenienſes a Lacedæmoniis perſuaſi
ſe perſequi & comprehendere vellent, for-
taſſe hæc verba non ſcripſiſſet. Id quod

)(2 quum

quum minus factum sit, Themistocles autem Ephesum primo, post ipsam Persiam adire decreverit, facile adparet, eum hac necessitate compulsum consilium suum mutare necesse habuisse, ut vitæ saltem periculum evitaret. Atque hinc factum est, ut primo Corcyram veniret, deinde Siciliam adire meditaretur, quod cum propter Gelonis mortem facere noluisset, tandem ad Admetum Molossorum Regem confugeret. Quod vero ad ista verba attinet, ea Sophistica esse plane nego, sed provenisse existimo a fervente Themistoclis animo, qui hac in parte a periculis fractus aliquid statuit, quod præcipitis & dubii animi indicium dare potest.

§. VII.

Argumentum porro epistolarum statuit Celeb. Bentleius res relatu indignas, nullius pretii, & quas non necesse sit aliquem scire. Epistolas præterea 15 (nobis 12) & 18 (nobis 9) ad inimicos esse scriptas, quia amici scribendarum epistolarum officium neglexerint, oportuisse aliquid habere Themistoclem quod scriber, si non ad amicos, certe ad inimicos. Sed ad amicos etiam omnes minutiæ, quæ nobis contingunt, relatu sunt dignæ, amicos quippe omnia bona, quæ nobis ob-

bveniunt, ſcire volumus, ne noſtri cauſa do-
ere aut metuere neceſſe habeant, mala vero,
t conſilio & auxilio nobis in tempore, ſi ita
eri poſſit, ſubveniant. Neſcio ergo quas
es relatu indignas vocet Bentleius, niſi forte
a, quæ epiſtola ultima de vaſis aureis & ar-
enteis, & ad Philoſtephanum trapezitam de
ecunia ſua, pro talibus ab ipſo habeantur.
Verum de pecunia ſollicitus eſſe debebat
Themiſtocles, in exilio conſtitutus, ut, ſi forte
iutius, quam ipſe putaſſet, exul manere co-
eretur, deficientibus rebus neceſſariis habe-
et unde viveret. Vaſa vero illa aurea & ar-
entea, crateras nempe & thuribula jam in
Perſia a Rege urbibus ditatus non pretioſita-
is cauſa deſideravit, ſed quia rara erant illo-
um ornamenta, quæ in Perſide majori etiam
pretio ſoluto tamen comparare non pote-
at. Ad inimicos vero epiſtolæ in Perſia
non ſunt ſcriptæ, nec ejusmodi minas conti-
ient, ut ne pretio quidem quod nunciis por-
igebatur, dignas eſſe cenſeat per tam lon-
gum iter Cl. Bentleius, ſed prior quidem a
Themiſtocle, tunc in Græcia adhuc ſubſiſten-
e ſcripta eſt hac de cauſa, quia Themiſtocles
nimo tam remiſſo non perinde erat ac Ari-
tides, ut contumelias omnes fortiter ferre,

& ſilentio transmittere potuiſſet, ſed paulo incitatiori erat ingenio, adeo ut has injurias a Callia ſibi inlatas ægre tulerit, atque hoc ipſum licet in exilio conſtitutus, per litteras ipſi ſignificaverit, additis præterea minis, ſi paulo clementiore in poſterum fortuna uti liceret. Ad Ariſtiden autem, qui in ſe, ut ipſe confitetur, æquior fuit, quam ipſe in illum, hanc ob cauſam ſcripſit, quia norat, & facile conjectare poterat, Ariſtidem etiam ſe abſente non optima quæque decernere, ſed, poſtquam oſtraciſmi ſui auctor fuerat, & fortaſſe etiam Lacedæmoniis Themiſtoclem proditionis cum Pauſania adcuſantibus, adſentatus erat, iter etiam ſuum ad Perſarum Regem Athenienſibus omni occaſione exoſum facere velle. Jam ergo extra periculum poſitus Ariſtiden exagitat, eique oſtendit, nihil ipſum juviſſe ſuas machinationes, quas adverſus ſe paraverit, & ſe oſtraciſmo ſuo non ad priorem ſed meliorem fortunam perveniſſe. Atque hæc, ut jam dixi, proveniunt ex ferventiore Themiſtoclis ingenio, qui in plerisque adfectibus aliquando nimius erat, id quod, ſi opus erit, ex hiſtoricis demonſtratum dare poſſumus, totumque ejus characterem, quemadmodum ex his epiſtolis elucet, adcurate deſcribere.

§. VIII.

§. VIII.

Jam doctissimus Bentleius intricato admodum argumento ex Chronologia petito adversus nostras epistolas insurgit. Hic ipse primo fatetur, non tam planam & apertam esse Chronologiæ istorum temporum rationem, ut certi quid ex ea demonstrari possit. Et tale quid jam suo tempore observat Plutarchus, qui, postquam multa de historicorum circa Themistoclis in Persidem adventum disseruisset, tandem addit: Τοῖς δὲ χρονικοῖς δοκεῖ. μᾶλλον ὁ Θουκυδίδης συμφέρεσθαι, καίπερ οὐδ' αὐτοῖς ἀτρέμα συνταττομένοις h. e. *Verum Thucydidem magis cum annalibus, licet ne hi quidem consarcinati sint fideliter, apparet congruere.* Nihilominus tamen putat Bentleius, ea, quæ ex Chronologia peti possunt, magnam quoque probabilitatis speciem habitura esse ad evertendam harum epistolarum auctoritatem, si cum superioribus conjungantur. Adponemus argumenta ejus ex historicis petita, prout ab ipso posita sunt. Theophrastum adducit, Plutarcho p.124. teste, scribentem, quod, quum Hiero equos ad ludos Olympiæ misisset, splendidumque ibi tentorium eri-

gere jussisset, Themistocles Græcis auctor & fuerit, ut tentorium diriperent, equos a cursu prohiberent. Ex his patet, Hieronem eo tempore, quo Themistocles hæc locutus est, jam tyrannum Syracusis fuisse, si Theophrastus proprie locutus esset. Post exilium enim Themistocles Olympiæ non fuit. Videtur tamen ei aliquantum contrariari Ælianus V. H. 9. 5. qui narrat Themistoclem Ἱέρωνα ἥκοντα εἰς Ὀλύμπια ἵππους ἄγοντα certamine exclusisse, adjecta ratione τὸν μὴ μεταλαμβάνοντα τοῦ μεγίστου τῶν κινδύνων, τῶν πανηγύρεων μεταλαμβάνειν μὴ δεῖν, *Eum, qui maximi periculi se socium non præbuisset, non æquum esse, ut communis festivitatis particeps fieret*, ut vertit Vulteius. Quum autem probabile minus fuerit, ipsum Hieronem eo venisse, si jam tyrannidem in sua civitate obtinuerit, necesse est, ut, si Æliano fides adhibenda sit, factum esse illud statuamus, antequam ad tyrannidem pervenisset. Gelonis enim tempore Hiero equos ad cursum emit & in ludis Pythicis Pythiade XXVI. vicit, quæ respondet Olympiadi LXXIV. 3. teste Scholiaste Pindari Πυθων. 1. & 3. Sed ne dicam Theophrastum majore esse

esse auctoritate, ipse sibi contradicit Ælianus, dum communis periculi mentionem facit, quod dubio procul bellum Xerxis fuit, quo Gelonem Græci quidem auxilia poposcerunt, quæ tamen Gelo vel plane detrectavit, vel certe cunctando rem protraxit, de quo Herodotus 7.163. & Diodorus Sic. l. 11. p. 21. Hæc bello confecto Hieroni imputata sunt, id quod Olympiade sequente factum est, qua Hiero Syracusarum tyrannus erat, quare eo tempore, quo Themistocles ostracismo electus Corcyræ degebat, Hiero non potuit demum Geloni succedere, qui jam aliquot annos ante regnaverat. Diodor. Sic. l. 11. p. 29. Plurimi Chronologorum, & cum his Scholiastes Pindari Pyth. 1. Diodor. Sic. l. c. p. 29. 41. Eusebius in Chron. principium Hieronis Olympiad. LXXV. 3. ponunt, & Themistoclis exilium septem annis post Olymp. LXXVII. 2. a quibus recedit Marmor Arundelianum, quod hæc omnia evertit, dum dicit Gelonem regnare cœpisse biennio post expeditionem Xerxis. Legationem autem Lacedæmoniorum & Atheniensium ad Gelonem, qua contra Xerxem suppetias petierunt, describit Herodotus lib. 2. Victoriam vero quam Gelo contra Carthaginienses in

Sicilia retulit, eodem die contigisse, quo prælium Salaminium factum est, scribit Diodorus l. 11. Hæc omnia hactenus ex Bentleji mente adducta sunt, quæ jam examinabimus, & nostros quoque calculos ponemus.

§. IX.

Hic nescio cur Cl. Bentleius, quum Chronicon Marmoreum legerit & refutaverit, doctissimos ejus inlustratores & commentatores non consuluerit, Seldenum, Lydiatum & Humphridum Prideaux. Lydiatum si conferamus, is in peculiari disquisitione de dynastia & morte Gelonis mortem hujus ponit in Olymp. LXXVI. 3. idque ex luculentis variorum auctorum testimoniis probat, quæ huc transscribere non est necesse. (Hic nobis ignoscet Lector, si in jam laudatis Triumviris unum pro altero ponamus, adeo enim confusa est eorum notitia, ut nescias, quis unius aut alterius dissertationis auctor sit, dum auctoris nomen nusquam præpositum legitur, quod harum rerum non adeo gnarus odorari certe vix potest.) Prideaux vero (hic enim nobis auctor videtur) in Canone Chronico ad hoc Marmor ad mentem Seldeni maximam partem formato p. 247. operis dicti, principium tyrannidis Hieronis

ponit

ponit in Olymp. LXXVII. 1. qui est a. u. 275. quo Coss. fuerunt Romæ L. Æmilius Mamercinus II. & C. Servilius Structus Ahala, & hoc in magistratu mortuo Q. Cornelius Lentulus Esquilinus, quæ cum Lydiato aliquantum conveniunt. Neque mirum est, Chronicon Marmoreum ita statuere, cum, Diodoro Siculo teste, Stesimbrotus Thasius quoque tempora Gelonis & Hieronis recentiora faciat, quem fortasse secutus est Auctor illius Chronici. V. Dodwellum annal. Thucyd. p. 74. Jam exilium Themistoclis ab optimæ notæ scriptoribus ponitur in Olymp. LXXVII. 2. & quidem circa ejus anni finem, ut vult idem Dodwellus l. c. p. 62. 63. Videt ergo Cl. Bentleius, tempus mortis Gelonis cum primo anno exilii Themistoclis aliquantum coincidere, quamvis adcuratius id ipsum demonstrare me non posse fatear, quia Chronologia horum temporum, ut ipse supra cum Plutarcho fassus est, valde intricata, pene dixerim, confusa est. Nihil ergo jam attinet destruere ea, quæ ex Theophrasto & Æliano de Themistocle & Hierone sunt adducta, sive enim ipse adfuit Hiero, sive minus, tamen tunc temporis nondum fuit tyrannus. Commune autem periculum fuit bellum Xerxis,

&

& hoc largimur,& ea,quæ de legatione adducta sunt,salvo tamen nostro computo.

§. X.

Ultimum quod opponit doctissimus Bentleius est argumentum a rebus Pausaniæ petitum, de quo tres in nostro opusculo exstant epistolæ. Secunda (nobis XIII.) ad ipsum Pausaniam scripta est antequam ejus detecta esset conspiratio, in qua eum admonet,ut secundam fortunam moderato animo ferret,alias futurum esse,ut brevi magna mala ipsum manerent. Et hæc quidem bene Sophista scribere potuit, qui jam novit, quæ Pausaniæ postea contigerunt. Epistola XIX. (nobis decima quarta) ad eundem scripta, postquam jam conspirationis causa suspectus est habitus. Hic Sophista omnes ejus circumstantias adeo aperte depingit, quasi unus fuisset ex Ephoris causæ hujus cognitoribus, imo prædicit Lacedæmonios Pausaniam esse interfecturos. Hinc ergo concludens Cl. Bentleius ait, (1.) se non credere Themistoclem ejusmodi expressionibus esse usum. (2.) ipsum prudentiorem fuisse,quam ut ad mortuum scriberet, quippe auctoritate Diodori Siculi adducta putat eum sexennio ante mortuum, nimirum Olymp. LXXV.4. Tandem

em adfert epistolam modo dictam optimum esse specimen diligentiæ Sophisticæ, quippe in qua materiam satis luculentam sibi sophista describendam sumserit. Sed reponimus primo, nos certo credere Themistoclem, imo & quemvis alium, qui videbat, quanta cum temeritate res suas gereret Pausanias, hæc ipsi prædicere potuisse, futurum scilicet, ut magna admodum pœna a Lacedæmoniis esset mulctandus. Porro infirmis plane talis stat ea computatio, qua Pausaniam sexennio ante Themistoclis exilium interemtum scribit, primo quod ad auctorem attinet, nam Diodorus Siculus, uti alias in Romanorum præcipue rebus & fallitur & fallit sæpissime, ita *in eo Pausania, Themistoclis & Cimonis Chronologia est vitiosissima*, verba sunt Cl. Dodvvelli Annal. Thucyd. p.60. Deinde idem p.61. demonstrat Pausaniam fine ejus anni, quo supra Themistoclem ejectum esse diximus, h. e. Olymp. LXXVII.2. Byzantio ejectum esse, & primas ad Persarum regem litteras dedisse. Anno sequente Lacedæmona ab Ephoris vocatus est, & judicium capitis subiit, quo absolutus, sed pecunia mulctatus est. Rursus deinde ad exercitum ivit, Dodvvellus p.68. qui etiam

p.69.

p. 69. oſtendit ex Plutarcho Pauſaniam ſemel Themiſtoclem conveniſſe. Facile ergo fieri potuit, ut etiam litteras, & quidem plures quam unus ad eum ſcripſerit Themiſtocles. Nec juvat doctiſs. Bentleium, quod dicat, errorem hunc Sophiſtæ inde provenire, quia Thucydides duo hæc, exitium Pauſaniæ & oſtraciſmum Themiſtoclis immediate in narratione conjunxerit, nam Plutarchus aperte teſtatur, ut jam diximus, hæc duo uno eodemque tempore facta, quod & cum ſuperiore Chronologia convenit. Habuit autem etiam cauſam cur hæc ſcriberet Themiſtocles, qui nimirum Argis conſtitutus erat, quæ in media Peloponneſo ſita eſt, unde prius reſciſci poterat, quid Lacedæmone ageretur, quam Athenienſes. Quapropter omnia nova fuerunt, quæ de his rebus Athenas ſcripſit Themiſtocles, nec ad Sophiſticam hiſtoriæ delineationem confugere neceſſe habemus. Nec vero ad Artaxerxen, ſed ad Xerxen venit Themiſtocles, quod non ſolum ex epiſtolis hiſce, ſed & ex Plutarcho aliisque hiſtoricis probari poteſt. Hoc tamen negare non poſſumus, ſub finem imperii Xerxis id factum eſſe, ſuccedente paulo poſt Artaxerxe, ut adeo melius ſit hiſtoricos veteres

pu-

pugnantes conciliare, quam tot scriptores alias fide dignos refutare.

§. XI.

Poterant & plura objici, quæ epistolarum nostrarum auctoritatem dubiam facere possint, quod vero a doctiss. Bentleio non est factum. e. g. verba ista epistola 19. Γέλων γὰρ δὴ τότε Συρακουσίων ἐμονάρχει. & ibidem: Ἀδμήτῳ δὲ τότε ὑπήκουε τὸ Μολοσσῶν ἔθνος, videri poterant a Sophista profecta, qui personæ, quam sibi induerat, oblitus, hæc ad informandos lectores suos adposuit. Sed hæc ita describenda fuerunt Polygnoto, qui fortasse hæc omnia non adeo adcurate noverat, neque de iis etiam hactenus magnopere fuit sollicitus. Epistola vero hæc ex Perside aliquot annis post ostracismum est scripta. Præterea, quod observarunt Viri Germaniæ nostræ doctissimi Schurzfleischius in dissertatione ex argumentis historiam complectentibus constante, quæ inter Schurzfleischianas conjunctim editas est numero XXCV. & Fabricius in Bibliotheca Græca, epistola 10. (quæ in hac editione est 16.) mentio fit Boiorum, qui in rebus Græcorum non occurrunt, bene tamen Ro-

Romanorum, cum quibus magna ipſis bella fuerunt. Hæc lacinia, quæ in notis ad dictam epiſtolam occurrit, tantum in Ehingeriana, non vero Caryophili editione legitur, quare in Vaticano codice non exſtat, ſed alicunde adjecta eſt, cujus tamen rei rationem nullam dare poſſumus, quia, ut jam dictum eſt, nihil nos Ehingerus ſcire voluit, an aliquo codice MS. uſus fuerit, an vero minus. Rejicimus ergo iſta verba, quia poſt epiſtolæ concluſionem adjecta, & nulli præterea uſui ſunt.

§. XII.

Nec ſilentio quoque prætereunda eſt illa Themiſtoclis epiſtola, cujus meminere Schurzfleiſchius & Fabricius. Non eſt illa a Themiſtocle ipſo ſcripta, ſed ſub nomine Themiſtoclis a Theophylacto Simocatta, quippe qui epiſtolas ſuas quas in ἠθικὰς, ἀγροικικὰς, & ἑταιρικὰς diviſit, a Viris celebribus, ruſticis etiam & mulieribus ad alios ſimiles ſcriptas eſſe fingit, non aliter atque Ovidius epiſtolas Heroidum. Scriptæ autem ſunt illæ argute quidem, quod ad res & verba attinet, ſed plane ſine omni judicio, quando perſonis quibusdam tales res adfingit,

git, quæ ipsis competere nullatenus possunt. Ne ad alia exempla provocemus probabit id satis superque illa, quæ Themistocli ibi adfingitur, quæ numero est XXXIV. a nobis ex editione Lugduno-Batava 1596. 12. & conlectione græcarum epistolarum, quæ vulgo Cujaciana vocatur p. 406. huc reponenda.

Θεμιϛοκλῆς Χρυσίππῳ.

Ἐπειδὴ σωφροσύνη καὶ παρὰ τῷ μύθῳ τετίμηται, ἄγε δῆτα, Χρύσιππε, διαμυθολογήσωμαί σοι μῦθον οὐκ ἄσεμνον. Ἀφίκοντο ποτὲ πρὸς τὸν Δία τὰ ὄρνεα, καὶ ὀλύμπιον ἐπρεσβεύοντο ἡγεμόνα. ἦν γὰρ ἀναρχία τοὺς ὄρνιθας τὸ λυποῦν, καὶ μεγίϛου τινὸς ἀγαθοῦ, ἡγεμονίας ἐχήρευον, καὶ πολλὴν διὰ τοῦτο τὴν ἀκοσμίαν ἐκέκτηντο. Ἐπένευσε τοίνυν ὁ Ζεὺς, καὶ γέγονεν ἔργον τὸ βούλημα, καὶ δωρεῖται δῶρον τοῖς ἱκετεύουσι θαυμαϛόν. Βασιλέως γὰρ ἦν ἀξίωμα τὸ διδόμενον. Προσέ-

τάττε δῆτα τοῖς ὄρνεσιν ἐπὶ λίμνας καὶ πηγὰς ἀφίκεσθαι, καὶ τὸν ἑαυτῶν ἀποσμήξασθαι ῥύπον, καὶ τοῖς ὕδασι τὴν βάσανον τῆς ἡγεμονίας ἐπίςευσεν, ἦν γὰρ εὐπρέπεια παρὰ τῷ Διῒ τὸ τιμώμενον. ἐλέσαντο δῆτα οἱ ὄρνιθες, εἶτα πρὸς τὸν Δία παλινδρομοῦσιν εὐθὺς, καὶ τὴν ἑαυτοῦ ἕκαςος εὐπρέπειαν ἐνεδείκνυτο. ὁ δὲ κολοιὸς τὴν οἰκείαν δεδιὼς ἀμορφίαν, τὴν τῆς φύσεως δημιουργίαν ἐνόθευσεν, ἀλλοτρίῳ κόσμῳ τὴν ἑαυτοῦ καλλωπίζων εὐπρέπειαν. ἀλλ' ἤλεγξε τὴν ἀμορφίαν ἡ γλαῦξ, καὶ τὸν ἐπίπλαςον κόσμον ἐδείκνυε. τὸ γὰρ οἰκεῖον ἐπιγνοῦσα πτερὸν, ὡς ἴδιον ἀφείλετο, καὶ τοῖς ἄλλοις ὀρνέοις ἐδίδου παράδειγμα, ἕκαςον ἀφαιρεῖσθαι τὸ ἴδιον, καὶ γέγονεν αὖθις ὁ κολοιός. Ὁ μῦθος, ὦ Χρύσιππε τὴν ἀλήθειαν καθάπερ ὕπαρ φθέγγεται πολλὴν σωφροσύνην ἡμῖν διηγούμενος. Οὕτω γὰρ καὶ οἱ ἄνθρωποι οὐδὲν τῶν τῆδε κε-

εκτήμεθα ἴδιον· ἀλλὰ ζῶντες μὲν
τρὸς ὀλίγον ἐπιπλάςῳ σεμνυνόμεθα
κόσμῳ, τεθνηκότες δὲ ἀφηρήμεθα ἅπερ
οὐκ ἔςιν ἡμέτερα. Ὑπερόρα τοίνυν
χρημάτων καὶ σώματος, ἀθανάτου δὲ
πράγματος ἐπιμελοῦ τῆς ψυχῆς. Τὸ
μὲν γὰρ ἀΐδιον καὶ ἀθάνατον· τὰ δὲ
θνητὰ καὶ πρὸς ὀλίγον ἐςὶν ἡμέτερα.

Vertit Latine Jacobus Cujacius:

Themistocles Chrysippo.

Quoniam temperantia etiam in fabulis celebrata est, age, Chrysippe, fabulam tibi non expertem gravitatis explicem. Accidit aliquando, ut aves Jovem adirent, & Olympium ducem peterent. Hoc enim avibus molestum erat, quod sine magistratibus confuse viverent, & maximo bono, ductu, carerent. Annuit igitur Juppiter, & voluntas in opus producta est. Et supplicantibus donat egregium donum. Regiam enim dignitatem largiebatur. Mandavit itaque avibus, ut ad paludes ac fontes abirent, & sordes suas abluerent, atque aquis explorationem ductus credidit. Erat enim elegantia apud Jovem in pretio. Ita lavabant

)(2 aves.

aves. Deinde confestim ad Jovem recurrunt, & suam pulcbritudinem qualibet ostendebat. Graculus vero suam deformitatem metuens, naturæ fabricationem adulteravit, alieno ornatu suam elegantiam decorans. At redarguit deformitatem noctua, & affictitium ornatum ob oculos protulit. Cum enim suas pennas agnosceret, quasi ad se pertinentes auferebat, & reliquis avibus exemplum prodebat, ut qualibet suas auferret. Sic rursus factus est Graculus. Fabula, Chrysippe, veritatem, quasi sermone excedit, magnumque nobis temperantiam narrat observandum. Sic enim etiam homines nihil hic possident suum, sed viventes quidem paulisper affictitio gloriamur ornamento. Mortui vero amittimus ea quæ non sunt nostra. Sperne igitur pecunias & corpus. Animus autem tibi curæ sit, qui est immortalis. Quod enim sempiternum est, idem est & immortale. Mortalia vero exiguo tempore sunt nostra.

Erant nonnulla circa hanc versionem monenda, sed nos data opera eam prout ab auctore suo scripta est, reliquimus.

§. XIII.

Restat, ut quæ in hac nostra editione præstiterimus, breviter addamus. Textum Græcum,

um, quia manu ſcripto Codice ſumus deſti-
ati, ex ingenio plerumque reſtituimus, ita
amen, ut nulla emendatio audacior paulo
t, aliquando etiam lectiones Caryophili
marginales retinuimus. Verſionem Lati-
am, quam Caryophilus totam ad ſuas emen-
ationes compoſuerat, retinuimus, in paucis
men locis emendavimus, præcipue ubi a
ero Themiſtoclis ſenſu paulo longius rece-
ere videbatur. Ordinem epiſtolarum re-
nuimus Ehingerianum, ut tamen, ſi quis
omanam editionem citatam legat, in no-
ra quoque evolvere, quæ velit, poſſit, adjici-
mus tabellam, ex qua id commode fieri
oterit.

ORDO EPISTOLARUM
Editionis Romanæ, quæ ſunt in Ehingeriana
& noſtra.

1	-	-	-	1
2	-	-	-	13
3	-	-	-	17
4	-	-	-	7
5	-	-	-	2
6	-	-	-	12
7	-	-	-	5
8	-	-	-	4
9	-	-	-	18

10 - 9

10	-	-	-	9
11	-	-	-	20
12	-	-	-	15
13	-	-	-	16
14	-	-	-	11
15	-	-	-	8
16	-	-	-	10
17	-	-	-	3
18	-	-	-	6
19	-	-	-	14
20	-	-	-	19
21	-	-	-	21

Textum in paragraphos distinximus, ut omnia bene citari & evolvi possint. Adjecimus præterea notas aliquas & indices verborum, rerum, & auctorum, pro opusculi hujus modulo breves, quia singulas minutias adponere nostri non erat instituti. Imago, quam titulo præfixam vides, sumta est ex Jac. Gronovii Thesauro Græcarum Antiquitatum tomo 2. n. 59. Utere ergo hoc qualicunque labore nostro, Lector Benevole, & si quæ sunt, quæ minus bene dicta invenies, memento me esse hominem, qui a se nihil humani alienum putat.

VALE.

ΘΕΜΙ-

ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

THEMISTOCLIS

Epiſtolæ Jo. Matthæo Caryophilo interprete.

EPISTOLA I.

Argumentum.

N*Arrat Themiſtocles, ut mulctatus oſtraciſmo, & patria egreſſus Delphos cogitaret: Verum Argivis quibusdam amicis forte obviam ſe offerentibus, & enixe rogantibus, Argos ſe contulerit, urbem amicam, & quæ olim Neocli ejus patri hoſpitium diu fuerit. Sed oblatos ab Argivis honores, & adminiſtrationem illius Reip. nolle ſe ait. De commoratione Themiſtoclis apud Argos, & fuga, & rebus ab eo geſtis meminere Thucydides lib. I. Diodorus lib. II. Plutarchus in Themiſtocle. Ceterum illi brevitate hiſtorica rem attingunt: Themiſtocles ad familiares ſcribendo, & lineamenta quædam addendo multam hiſtoriis lucem affert. Ex quo perſpicuum videtur germanas eſſe, non confictas*

a posteriore quopiam hasce epistolas. nam & bellenismi antiquitatem redolent, & non fucatum atticismum; talisque in eis styli gravitas, & expressa magnitudo animi, quale ejus ingenium describit Thucydides, acre, excellens, acutum ad excogitandum, uberrimum ad explicandum, fœcundissimum & facundissimum. Æschylus videtur poeta ille tragicus, ad cujus fratrem Aminiam infra extat epistola.

Θεμιστοκλῆς Αἰσχύλῳ.

ΑΠερχόμενοι μὲν εἰς Δελφοὺς καταίρειν διεγνώκειμεν, ὡς ἐν Δελφοῖς ἐφ᾽ ὅσον δοκεῖ Ἀθηναίοις βιωσόμενοι. καθ᾽ ὁδὸν δὲ τῶν ἐξ Ἄργους μοι ξένων ἐντυγχάνουσι Νικίας καὶ Μελέαγρος, ὅ τε οὐ πρὸ πολλοῦ Ἀθήνησι διατρίψας Εὐκράτης.

Themistocles Æschylo.

ABeuntes quidem Delphos proficisci cogitaveramus, ut vitam illic transigeremus quoad placeret Atheniensibus. Sed in itinere obviam se obtulerunt Argivi jure hospitalis amicitiæ mihi conjuncti Nicias & Meleager, & qui non multo ante versabatur Athenis Eucrates.

Ii

1. Καταίρειν) αἴρειν cum compositis de navigatione frequenter usurpatur. D. Lucas Actor. 27. 13. ἄραντες ἆσσον. Thucydides 4. 11. οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι ἄραντες &c. c. 45. ἄραντες δὲ ἐκ τῶν νήσων οἱ Ἀθηναῖοι ἔπλευσαν αὐθημερὸν ἐς Κρομμύωνα τῆς Κορινθίας. Herodianus 3. 15. 15. ἀπᾶραι τῆς Βρεττανίας ἠθέλησαν.

Καὶ περιςάντες ὡς ᾔσθοντο πυνθανόμενοι τοῦ ἐξοςρακισμοῦ, ἠχθέσθησαν μὲν εὐθὺς, καὶ πολλὰ Ἀθηναίοις ἐνεκάλουν. Ἐπεὶ δὲ ἔγνωσαν, ὅτι εἰς Δελφοὺς ὥρμημαι καταίρειν, παυσάμενοι τοῖς Ἀθηναίοις ἐγκαλεῖν, ἐμὲ ἐκάκιζον. καὶ ἠτιμᾶσθαι μὲν ἑαυτοὺς ἔφασκον, εἰ μὴ ἐπιτήδειοι ὑπελήφθησαν αὐτοὶ τὸ ἀτύχημα ἡμῶν ἐκδέξασθαι.

Ii me circumsisten- 2
tes de via interrogabant; atque ut ostracismo fugientem acceperunt, statim quidem ægre tulerunt, & Athenienses vehementer incusabant. Ubi vero me Delphos tendere cognoverunt, posthabita incusatione Atheniensium me obiurgabant, & se quidem aiebant despectui habitos, quos minus idoneos judicaverim ad calamitatem

2. ἐξοςρακισμοῦ) ἐξοςρακίζειν notat expellere e civitate testarum suffragiis, uti loquitur Nepos. Hesychius: ἐξωςρακίσθη, ἐξωρίσθη, ἐπειδὴ εἰς ὄςρακον ἔγραφον τὰς ἐξορίας. Et iterum: ἐξωςρακίσθη, ἐξῶσαι παγὶς ἔξω παγίδος, lege, ἐξωρίσθη ἔξω πατρίδος. Vide Thomam Magistrum in ὀςρακίζομαι. Tralate pro *expellere* usurpant hoc verbum Philes de pinna p. 126.

Ἐξωςρακωθὲν εἰς παρακμὴν τὸ ςέγος
Ἐξοςρακίζειν οἶδε καρκίνου φύσις. h. e.

Natura cancrum docuit testam marcescentem deponere. Tzezes ad Hesiodi ἔργα καὶ ἡμ. 1, 196. ἢ καὶ σχεδὸν πᾶσιν ἡ αἰδὼς καὶ ἡ νέμεσις τοῦ βίου ἐξοςρακίζονται. Cæterum de Ostracismo nota sunt omnia, & ne prolixi simus, conferendi Interpretes Nepotis 5. 3. 1. Ubbo Emmius de Republ. Athen. t. 4. Thes. Gron. col. 450 Joach. Stephanus de Jurisdictione Græcorum c. 11. Meursius Them. Attic. 2, 30. & Attic. Lect. 5. 18.

3 Ἐμαρτύρουντο δὲ Νεοκλέα τὸν ἡμέτερον πατέρα, ὡς ἐπὶ πλεῖστον βιώσειεν ἐν Ἄργει. ἐγὼ δὲ ἀμελῶ ἐμαυτοῦ ἀγαπήσαντος Ἄργος τε καὶ τοὺς ἐν Ἄργει φίλους. οὐ μακρὰν δὲ ἦσαν καὶ ἐπαινεῖν Ἀθηναίους, ὡς δίκαια τινόντων ἡμῶν.
4 Τελευτῶντες δὲ ἐδέοντο μὴ σφᾶς καταχρίνεσθαι τῆς ἀτυχίας μόνον τῆς ἡμετέρας αἰτίους γεγονέναι, μηδὲ ὑβρίσαι αὐτῶν τὸ εὐτύχημα τῆς ἀπαντήσεως, Νεοκλέα τε πάλιν προφέροντες, καὶ ὡς ἄξιον εἴη πόλει τε τῇ αὐτῇ τῷ πατρὶ καὶ οἴκῳ ἐμβιῶναι. ὥστε ἀπῆγον ἡμᾶς ἔχοντες εἰς Ἄργος Αἴσχυλε.

meam sublevandam, & proferebant parentem nostrum Neoclem, qui longo tempore Argis vitam traduxerit. Me vero nullam mei rationem habere, qui Argos & Argi cives amarem. Nec longe aberant a laudandis etiam Athenienfibus, quibus ipse justas luerem pœnas. Ad extremum summis agebant precibus ne committerem, ut sibi culpæ daretur, solos nō fuisse nobis prosperæ fortunæ auctores; nec afficerem injuria, quod sibi successit, ut in nos inciderint; de Neocle rursus mentionem facientes, dignumque asserentes, ut in urbe ac domo quam pater incoluit, & ipse degam. Itaq; deducti fuimus Argos.

Καὶ

3. δίκαια τινόντων ἡμῶν) scil. αὐτῶν τῶν Ἀθηναίων.
4. τῆς εὐτυχίας) lego ἀτυχίας bono sensu. Caryophilus in margine aliam lectionem substituit, quæ non adridet. Mallem tamen abesse τὸ μόνον.

Καὶ νῦν ἐν Ἄργει τὴν ψυχὴν ἀνεπαύσαμεν. καὶ πολλὰ πάσχομεν, οὔτε ἄρχειν βουλόμενοι Ἀργείων. ἀναγκάζουσι γάρ ὡς ἀδικούμενοι, ἢν μὴ ἄρχωμεν. ἡμῖν δὲ ἀρέσκει μήτε μεγάλοις εἶναι δοκεῖν. οὐ μόνον ὅτι ἔβλαψαν ἡμᾶς ταῦτα, ἀλλὰ καὶ ὅτι ἀρκεῖ αὐτῶν ἐν δέοντι ἀπολελαυκέναι.

Et nunc Æschyle in hac 5
urbe animum nostrum refecimus, sed multa patimur, quod ne præesse quidem Reip. volumus; Magnopere enim nos vexant pati se injuriam existimantes, ni magistratu fugamur. At nobis nec magnis quidem esse placet non eo tantũ nomine quod hæc nocuere, sed quia jam satis nobis, quando res tulit, iis perfrui licuit.

ἴχοντες) lege ἔρχοντες hoc sensu: Cum venirent Argos, deduxerunt me.

5. τὴν ψυχὴν) ita emendavi pro eo, quod alii legunt φυγὴν, vel φύσιν. φυγὴν ἀναπαύειν nihil plane notat. ψυχὴν autem ἀναπαύειν est animum curis hactenus Reip. deinde periculis & molestiis in itinere distractum in ordinem redigere & confirmare.

EPISTOLA II.

Argumentum.

Virtutis & fortunæ parallelis lineis pares Themistocles Atheniensis, & Lacædemonius Pausanias, ille consilio & militari prudentia bis navalem victoriam a numerosissi-

ma Perſarum claſſe reportavit: hic vero Mardonium, qui poſt fugam Xerxis magnas ſecum copias ad ſubigendam Græciam retinuerat, inſigni victoria fudit ad Platæas. Uterq; Græciæ liberatoris titulo dignus. Verum dilabente fortuna Themiſtoclis adhuc florebat Pauſanias. quo tempore Alcetas Themiſtoclis amicus caſum ejus deplorans ſolebat dicere: Fortunam deſerto Themiſtocle totam ſe Pauſaniæ dediſſe. Poſtea everſis Pauſaniæ rebus, & ſumma felicitate in ſummã converſa miſeriam, Themiſtocles nondum & ipſe miſerior factus, revocat Alcetam ad ſui dicti memoriam, & ærumnoſiſſimum Pauſaniæ lapſum enarrat. ex quo non modo ſe feliciorem, ſed neq; omnino conferendum cum illo ait. Sibi enim calamitatis cauſam eſſe virtutem, illi dominandi libidinem, & ſtudium proditionis. Thucyd. & Diodorus locis citatis.

Θεμιςοκλῆς Ἀλκέτᾳ χαίρειν.

1 Εἰώθεις ὦ Ἀλκέτα, ἅμα τὴν ἐμὴν ὀδυρόμενος φυγὴν μακαρίσαι τὴν Παυσανίου τύχην. καὶ πολλάκις ἔγραψας σύ-

Themiſtocles Alcetæ S.

Solebas Alceta meum deflendo exilium, fortunam quoque Pauſaniæ beatam vocare. Et ſcripſiſti ſæpe fugiſſe a nobis Deam,

ſe

γε, ὡς ἀποδρᾶσα ἡμῶν ἡ δαίμων ἑαυτὴν προδοθείη Παυσανίᾳ. Οἴχεταί σοι μετ᾽ αὐτῆς ἀνὴρ ἐκεῖνος ὦ Ἀλκέτα. Οἴχεται μὲν ἡ ἐφ᾽ Ἑλλησπόντῳ ἀρχὴ τοσαῦτα οὖσα. Οἴχεται δὲ ὁ πλοῦτος καὶ τὸ ἄχρι βασιλέως ὄνομα. καὶ οὐδὲ ταφῆναι αὐτῷ τελευτήσαντι ἕτοιμον γέγονεν. Οἱ δὲ μάλιστα θαυμάσαντες Παυσανίαν, νῦν μάλιστα καὶ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἀπέχονται, πολλῶν τοὺς ἀκουσομένους κακῶν ἀναπλήσαντος. ὥστε σοι ὥρα μήτε μακαρίζειν ἔτι τοῦ μεγέθους Παυ-

seseque Pausaniæ tradidisse. Periit vir 2
ille tibi Alceta cum ipsa: evanuit præfefectura Hellesponti, quæ tam ampla erat. Defluxere opes & nomen plane regum. Et nec vita functo sepultura illi in promtu fuit.
Qui vero Pausaniam 3
summis laudibus extollebant, nunc vel ab ipso proferendo ejus nomine abstinent, quasi audientes multis illud malis oppleat. Tu igitur posthac nec beatum Pausaniam ob amplitudinem prædicabis, nec rerum ejus præsentem lugebis exitum.

3. τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἀπέχονται) Quamvis existimare quis posset, hyperbolice hoc dictum esse, dubium tamen non est, quin idem Pausaniæ nomine factum sit, quod Herostrato accidit, qui Dianæ Ephesiæ templum accendit. Notum est apud Romanos exemplum M. Manlii Capitolini, de quo Livius 6. 20. & Festus. Pertinet huc illud Servatoris Lucæ 6. 22. καὶ ἀφορίσωσιν ἡμᾶς, καὶ ὀνειδίσωσι, καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρόν. Adde Rittershusium ad Guntheri Ligurinum 5.120. & Interpp. Lactantii de M P. c. 3.

σανίαν, μήτε μὴν ὀδύρεσθαι τῆς νῦν καταστρο-
4 φῆς. Δίκαια γὰρ νῦν δὴ πέπονθεν, καὶ ἐπαινοῦμεν αὐτοῦ τὴν τιμωρίαν. καὶ εἰ σφόδρα ἐκπέπληξαι τὸ ἄμετρον τῆς μεταβολῆς ἐννοούμενος, ἀπολύσομέν σε τῆς ἐκπλήξεως, φήσαντες, οἵας καὶ ἡμᾶς ἀπέλυσεν εἷς αὐτὸς ἀνὴρ ἐλθὼν οἰμωγῆς. καὶ μεταβαλλόμενος θαύμαζε, ὅτι τοιοῦτος ὢν περιῆν ἐκεῖνος, καὶ εὐτύχει πολὲ. καὶ χρόνου πολλοῦ ἀπέλαυεν.
5 Ἐπώλει Παυσανίας βασιλεῖ τὴν Ἑλλάδα, καὶ Μήδους ἐφίλει καὶ ἐμιμεῖτο, καὶ ἤχθετο ὅτι Ελλην εἴη, καὶ οὐ τῶν

Justas enim & debitas pœnas luit, & laudo supplicium irrogatum. Quod si immodicam rerum mutationem considerans vehementer obstupescis, liberabimus te stupore narrantes, quo nos quoque gemitu liberaverit vir quidam isthinc profectus, & mutatus admirare, hujusmodi virum illum præcelluisse & floruisse, multoque tempore hac felicitate esse gavisum. Vendebat Pausanias Regi Græciam Medosque amabat & æmulabatur, & moleste ferebat se Græcum esse, non ex eorum numero, qui ad

su-

4. ἐλθὼν) mallem θανὼν vel ἀπελθὼν, quæ ita verto: *narrantes non minori nos quoque gemitu unicum huncce virum morientem liberasse.*

5. τῶν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἐλθόντων) Persa vel Medus.

ἐπὶ τὴν Ελλάδα ἐλθόντων. καὶ ἐπεὶ ἐδόκει ἀπολογεῖσθαι τῷ ἐν Πλαταιαῖς ἔργῳ μὴ κακὸς εἶναι, πιστεύεται τὴν ἐφ' Ἑλλησπόντῳ στρατηγίαν. Καὶ αὐτίκα διὰ τῆς στρατηγίας ἀπελογεῖτο Μήδοις, ὅτι οὐδ' ἐν Πλαταιαῖς ἑκὼν ἀγαθὸς ἐγένετο, ποινὴν δὲ ἐκείνου τοῦ ἔργου ἀντεδίδου τὴν Ελλάδα αὐτοῖς. καὶ Αρταβάζῳ σ[illegible]ίθετο ὄντι σατράπῃ βασιλέως ἐπὶ τοῖς πρὸς θάλασσαν ἔθνεσιν.

subigendam Græciam venerant. Et quoniam quæ ad Platæas gesserat, videbatur ejus defensio quod frugi esset, concreditur illi præfectura Hellesponti. Quam simul atque 6 accepit, statim se Medis excusabat, quod nec ad Platæas sua sponte vium se præstitisset. Et ut opus illud compensaret, tradebat iis Græciam: & juncto fœdere cum Artabazo (qui a Rege maritimis populis Satrapa constitutus est) & ad ipsum Regem

6. ποινὴν) *compensationis loco* reddendum h. l. Sic apud Pindarum Pyth. α. ἐπῳδ. γ.

Μοῖσα καὶ πὰρ Δεινομένει κελαδῆσαι
Πείθεό μοι ποινὰν τεθρίππων. h. e.

Musa obsequere mihi, ut etiam quadrigarum præmium canam, quod Dinomenes reportavit. Idem Nem. α. ἐπῳδ. δ. Ἡσυχίαν καμάτων

Μεγάλων ποινὰν λαχόντ' ἐξαίρετον.

Tranquillitatem eximium magnorum laborum præmium consecutam. Eadem notione occurrit vox ποινῆς apud Homerum Iliad. E. 266. ubi Scholiastes Didymus ποινὴν explicat ἀντέκτισιν, δωρεάν.

7 Αὐτός τε βασιλεῖ
ταῦτα ἤγγελλεν, καὶ
αὐτὸς ἤδη Μῆδος ἦν
καὶ γνώμῃ καὶ διαίταις,
καὶ οὐδὲ ἡ ἐσθὴς αὐτὸν
ἔτι Ἕλληνα ἐποίει.
8 Ταῦτα δὲ, ὥς που
καὶ αὐτὸς ἔγνωκας, εἰς
Λακεδαιμονίους ἐκόμι-
σεν ἀγγελία, καὶ αὐ-
τίκα ἐκίνησε μὲν, καί-
περ ὀλίγα οὖσα, πλέον
δὲ οὐδέν. ἐπεὶ δὲ διε-
βοήθη, ἀπέτισε Παυ-
σανίας, καὶ ἀφαιρε-
θεὶς τὴν ἀρχὴν ἰδιώ-
της ἀντὶ στρατηγοῦ γίνε-
9 ται. Εὐθὺς γὰρ εἰς τὴν
Ἀσίαν κομισθεὶς, καὶ
ὀργῇ τε καὶ ἀμύνῃ φέ-
ρων τὴν ἀφαίρεσιν τῆς
στρατηγίας, θερμοτέ-
ρων ἥπτετο πραγμά-
των. κρύφα δὲ ἀκμὴν
ἔπρασσεν, οὐκ αἰσχυ-

